

Assertio 6. De pecunia mutua accepta ad negotiationem.

218 Dico sexto: si necessarium sit pecuniam ad exportandas merces, cum lucro cessante, aut damno emergente mutuum sumere, debet Commendatarius mutationis huius damna pariter cum Commendante sentire. Solent enim aliqui ut ea, quæ sua sunt, curent, pecunias cum moderato damno recipere, & de aliis non ita providere, contenti transmittere illa, cum ingenti præmio pecuniis comparatis. Quod est sane iniquum. Sicut ergo de mercibus ipsis dictum est Assertione 3. & 4. ita & de sumptibus, sic enim vellet ipse erga sua fieri, si Commendatario eam, quam ipse modò habet, curam demandasset. Et ratio est clara: quia commendatio cum hoc onere suscipitur, & idem inconueniens est circa sumptus conductionis mercium, qui esse poterat circa ipsarum emptionem; sic enim fieret Mercatori, adeo caræ merces aduenire, ut nihil, quod momenti alicuius esset, lucraretur. Quod si dicatur carè habitas, carè etia vendi ab illo posse. Id non satisficit: nam cum commendarius merces non ita carè constantes exportarit, eas commodiori pretio distrahit, vnde & Commendans ad venditionem similem compelleretur. Pretium enim mercium non augendum ex sumptibus, qui per accidens, aut contingenter erga eas fiunt, vt communiter docent Scriptores, & videri possunt pro eo. P. Lessius Lib. 2. Cap. 21. num. 29. vbi bene obseruat sumptus per infortunium, aut imprudentiam factos, non debere computari. Cardinalis Lugo Disput. 26. num. 41. Bonacina Disput. 3. de Contractibus. Quæst. 2. Puncto 5. n. 29. apud quem Navarrus, Couarruias, & Patres Valentia, & Reginaldus. Iuxta hæc ergo fit sumptus cum proportione partiendos; quod si imprudentia grauitè culpabilis fuit, etiam si illi sint pro mercium exportationes indiscriminatim facti, Commendatario est excessus adscribendus. Et hoc iuxta mitiorem sententiam, alij enim leuiorem culpam sufficere ad illud arbitrantur. Pro quo Heuia supra numer. 40. P. Oñate Tomo 2. Disputat. 44. num. 98. & seqq. vbi plures textus non contemnendos adducit.

De sumptibus

Ratione illorum non semper posse pretium augeri.

Quæ culpa ad obligationem facti.

Assertio 7. Commotio ratiõis in commendatario factam non esse obligationem cum Commendante partiri.

Difficultas Specialis, cum pecunia com-

219 Dico septimo: si Commendatarius facturus sumptus, inueniat aliquem, qui propter amicitiam, aut alium respectum priuatum, ei pecunias, aut gratis, aut cum moderato lucro tradat, vt rebus suis provideat, non tenetur commoditatem illam communem facere, sed suâ fortunâ vti, & bona Commendantis vt potuerit transportare. Probat: quia sic tribuens, minimè Commendantis vtilitatem intendit, & est illud priuatum beneficium, quod eo ipso non debet ex obligatione fieri commune. Quemadmodum si dominus nauis vellet cum speciali commoditate merces Commendatarij transportare, non teneretur merces Commendantis præferre, aut earum partem cum parte suarum in eandem nauim inferre. In quo quidem pro parte contraria scrupulus esse potest, quia cum nauis Dominus commoditatem illam remissione pretij tantum intendat amico conferre, contra eius voluntatem fit, aliena conuehendo.

220 Maior videtur esse difficultas, si quis pecuniam cum minori lucro tribuat Commendatarij intuitu, nihil de illius mercibus in speciali cogitans, vt illæ ab alijs sunt diuersæ quæ ad com-

mendam pertinent. An scilicet debeat sic tribuenti rem totam aperire; & præterea an possit id, quod ex sumptibus minuitur, Commendanti imponere, & sumptus integrè, ac si gratia ei nulla facta fuisset, computare. Et circa primum cum distinctione videtur loquendum: si enim pecunias tribuens scire præsumatur eum, cui tribuit, esse Commendatarium, quia communiter sic nauigantes tales sunt, non est necessarium ipsum de illo reddere certiorum, iuxta iuris regulam in Sexto 31. in qua dicitur in hunc modum. *Eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportet.* Si verò non ita præsumi queat, & alia circumstantiæ non iuuent, certiorari oportet, quia circa donationem respectu alterius est inuoluntarius ex ignorantia, & ita redditur nulla donatio. Quemadmodum si quis secum adduceret puerum, & alius existimans eum esse filium, ipsi donationem momenti alicuius vellet facere, teneretur amicus eum non esse filium declarare. Et quia tacens consentire videtur, iuxta regulam etiam iuris supra, ad restitutionem teneretur. Nequit enim dubitari, quin taciturnitas illa fallaciam, & dolum contineret.

modum in-differenter accipitur.

Cap. Eum, qui de reg. iuris

Ignorantia vt reddat nullam donationem.

Fallacia ex taciturnitate cessante quid faciendum.

221 Circa secundum autem: si fallacia dicta interfuit ob taciturnitatem, debet sumptus integrè computare, quia cum restitutio sit facienda mutuant, perinde est, ac si iuxta pretium communiter receptum tribuisset. Si autem gratia illi plenè facta est, videtur satis verosimile eam etiam debere Commendantem frui, quia pecuniæ sine vilo discrimine sunt tributa: vnde putandus est sic tribuens indirectè voluisse Commendanti gratificari ob respectum amici, vel ex gratitudine, eo quòd de amico vtilem ipsi confidentiam habuerit; vel ex eo quòd sic velit eum ad vltiores commendas prouocare. Vnde absolute negotium amici agit: ad quod etiam sufficit velle se erga amicum beneuolum ostendere, vt negotia sua melius, & iucundius expediat. Vt cum quis inuitat amicum, & propter eum etiam socium, quem scit non libenter relicturum. Aut cum ferculum mittit, ex quo socium comesturum nouit, non videtur autem oppositum improbabile; quia ea, quæ dicta sunt num. 219. possunt aequaliter applicari. Tenent quidem communiter Doctores eum, qui minori pretio aliquid emit, quam ei fuerat constitutum, non posse partem illam pretij retinere; etiam si posset ab vno emere, constituto pretio, & eo relicto, alium quæsierit; quia diligentia illa non extraordinaria, est debita in Mandatario fideli. Pro quo Doctores, quos adducit, & sequitur Bonacina Disput. 1. de Restitutione Quæst. 2. Puncto 6. num. 14. Ex quibus addunt aliqui id verum habere, etiam si vendens dicat se gratiâ illius minori pretio vendere, vt videri apud eundem potest. Et tenet etiam Pharaonius in Appendice Tractatus 2. Sessioe 14. Casu 16. Ex quo videtur fieri neque in casu nostro, id, quod Commendatario in gratiam eius tribuitur, posse sibi retinere, quia negotium Commendantis agit, & ab amico petere mutuas pecunias cum speciali commoditate nullam extraordinariam diligentiam continet.

222 Sed certè vt improbable non debeat cenferi oppositum. Primo facit, quod limitationem illam, aut potius exaggerationem, quando di-

Contrariu esse probabile. Ex quo pro casu.

P. Azor.

minutio pretij fit in gratiam alterius non ab omnibus additur, vt quæ non omnino certa sit. Secundo P. Azorium Parte 3. Lib. 8. Cap. 23. de empto, & vendito; in fine, eam addentem ita scribere: *Nec sufficit si Mercator Caio dixerit: Ego tui gratiâ aromatum pretium minuo; quia idem dicitur singulis emptoribus consuevit. Immo nec sufficit, si id dixerit, atque etiam si iure iurando confirmauerit.* Hæc ille: iuxta quem ex eo non potest sic emens partem illam pretio ademptam retinere sibi, quia Mercatores sic dicere consueuerunt: ergo quando verosimiliter apparuerit non ex Mercatorum consuetudine, sed ex vero animo ita loqui, quod etiam res ipsa persuadere potest, cum constet alios carius vendere, diuersa prorsus ratio est: & ita poterit sic emens gratiâ illius commodum reportare. Tertio: quia cum constet de gratiâ tali, aliquis eius fructus debet in ementem redundare: cui, & non alteri vult is, qui vendit, commodum impartiri. Quarto: quia is qui rem illam accipit, ex eo quòd sic appreciatam habet, vt ipse voluit, & quomodo ab alio emi potuit, nihil habet minus, quam habere debuisset: ergo nulla illi fit iniuria. Tandem; si is qui emit, operam aliquam extraordinariam adhibuisset, & sic minori pretio emisset id quod minus in pre-

tio fuit, sibi poterat retinere, vt fructum industriæ, vt docent Auctores, quos adducit, & sequitur Bonacina supra num. 19. Atqui non minor ratio apparet ad huiusmodi retentionem ob gratiam dictam; ergo poterit etiam stare. Minor ostenditur; quia homines ita pretium remittere non est ordinarium in ipsis; & præterea, quòd labore, aut merito amicitia id habitum sit, differentia valde materialis est, & in ordine ad eum cui res emitur, nullius considerationis, quid enim eius interest, quod labore alterius pretium sit imminutum, si ipse integrum tribuit? Aut quid plus habet ob respectum mandatarij factam diminutionem? Est ergo, vt dixi, hoc probabilitate minimè destitutum. Pro quo facit doctrina P. Lessij verb. *Restitutio, Casu 11. in Resolut. posthumis*, vbi de sollicitatore, in cuius gratiam gratis confertur officium. Nec de Commendatarijs plura, licet addi alia possent; sed sunt illa adeo contra iustitiam, & ita etiam contra rectæ conscientia dictamina aperte militantia, vt non sit pro illis necessaria discussio, sed vnumquemque horum, vt iam admonui, ad tribunal conscientia remittere; quod si fiat non erit cur debeant Consulatus sublellia fatigari. De quo hæc satis.

Id certius cum extra ordinaria diligentia additur.

TITVLVS X. DE INDICIS MINERARIIS.

DE ijs inquam, quos *Mineros* dicimus, seu Hydrargyrios, *Azogaeros*, eò quòd argento viuo ad argenti mortui perfectionem vtantur, de quibus non pauca in superioribus dicta, quæ dabit Index verbo *Minerarius*. Nunc addidisse aliqua non fuerit leuis operæ pretium, licet breuiter differenda. Pro illis enim regula illa, de qua *Titulo precedenti num. 206.* satis superque esse posset, quoad conscientia negotium. Si quid autem bonæ fide actum contradici contingat, ad Minarum erit Iudicem recurrendum: vel etiam ad Regia Prætoria, si res maioris momenti sit, iuxta speciales leges, quæ pro Minis extant, iudicium expectandum. Quia verò ab istis multa fiunt, circa quæ esse dubitatio nequit, & ita neque disputatione opus pro eisdem, enumerando potius, quam disputando, ea statim proponemus, ne si prætereamus taciti, probare aliquomodo videamur. Sit ergo pro illis

CAPVT I.

Enumerata quedam in quibus Minerarij manifestè delinquant.

Primo: qui vt inueniant Minas, Indos consulunt, etiam si illos ad illarum detectionem vfuros ope demonis suspicentur; circa quod videri possunt à nobis dicta *Titulo 5. num. 67. & sequentibus.*

Minerarij delicta. Primum.

Secundo: qui ad manifestationem Minarum Indos magnis pollicitationibus etiam iuratis pertrahere conantur, cum tamen nihil minus cogitent, quam earum impletionem.

Tertio: Indos pro extorquenda tali manifestatione vexantes, non precibus importunis tantum, & minis, sed durâ, & asperâ tractatione.

Quarto: qui Indos inuitos secum adducunt, vt seruiant in Minerarum acquisitione, iustum stipendium negantes, & satisfactionem pro defectu erga res proprias, à quarum sunt curatione remoti.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Quinto;

Quintum. Quinto: qui vanæ cuiusdam ſpei dulcedine allecti, per montes, & colles vagantur, & præceptum annuæ Confeſſionis, & Paſchalis Communionis non implent.

Sextum. Sexto: ad laborem conqueſtionis dictæ ſuſtinendum, furantes mulas, & fortè alia, ab itinere antibus, aut propius degentibus, exſtimantes debere omnia metallico numini deſeruire, & reſtitutionem in tempus magnæ fortunæ, quam ſibi ſomniant, differentes.

Septimum. 3 Septimo: qui ex Minis ab aliis inuentis metallum extrahunt, & præuenientes eos ad Regios Officiales regiſtrandum adducunt, contententes ſe in aſſignatione partis per leges faciendæ eſſe veris inuentoribus præferendos; & ut id plenè non obtineant, magnâ tamen ex parte aſſequuntur, vnde illi non parum ſuorum laborum fructu defraudantur; quod cum Indis inuentoribus poteſt frequenter accidere.

Octauum. Octauo: ad laborandum in Minis Indos minis, & fraudibus capientes. In Potoſinum oppidum, aut aliud ex maioribus veniunt iſti, alibi Minas habentes. Hoſpitium eligunt, in quo plura cubicula *Canchas* dicunt. In forum exeunt, & comediſtibia aliqua ementes, Indum ex adſtantibus, ut ea in domum exportet, dato pretio conducunt. Vadit ille, & vbi primùm ingreſſus, clauditur, vinculatur, ſic capiuntur alij donec optatus numerus compleatur. Completo ergo ad educationem, & transportationem patrocinio noctis vtuntur. Sic miſeri iſti Minarum laboribus applicantur, ſine ſpe exitus; ut verò aliquale habeant in illis ſubſidium, de ſeminis, quæ cibum parent, & ad alia ſeruiant, prouidetur: quibuſcum iſti maritali ritu viuunt, vxores ſuas compellantes: cum contingat non ſemel eſſe illos vxoratos, & iterum in facie Eccleſiæ contrahere. Hæc quidem non vidi, audiui tamen à fide digniſſimis: eſti ita res habet, quid miramur Indicarum diuitiarum infortunia frequentia, & hoſtes noſtros ſpolijs pretioſiſſimis, & nuroliſſimis exultantes? Ad quæ quidem ſi ſcire contigerit, Regum noſtrorum pietas ingemiſcet, & remedium perget præſentiſſimum adhibere; neque ego aliud inuenio, niſi generalem viſitationem per Miniſtros integerrimos faciendam; amandatis longius, dum ea ſit, Minarum dominis, etiamſi aliquid de Regiis ſit iuribus minuendum. Quod enim eâ ratione minus tuerit, maiorum theſaurorum copiâ diuina liberalitas compenſabit.

Nonum. 4 Nono: qui Indos diebus feſtiſtis laborare compellunt, ſi præſertim Miſſam non permittere audire, quod de diebus, quæ pro iſtis de præcepto ſunt, præſertim accipiendum, de alijs, quæ pro Hispanis quidem de præcepto ſunt, non verò pro iſtis, quid cenſeri debeant dicendum inferius.

Decimum. Decimo: Compellentes item ad laborandum taliter, ut dici de illis Propheticum illud queat. *Lafſis non datur requies*. In quo genere inhumanum eſt eos, qui viribus valde imparès ſunt in laboris penſo pariare. Vnde & horas laboris ſignat ordinatio Minarum *Titul. 10. num. 2. & 3.* ſicut & nimis vrgeri: Indi enim eo ſunt ingenio, ut vrgeri non debeant, ſed ſuo laborandi mori relinqui, iuxta quam paulatim multa perſciant,

Indorum in dolens peculiaris circa laborem.

à quibus tamen ſi vrgeantur, abſcedent; vel ſi abſcedere nequeant, conſumentur.

Vndecimo: vltra designatum ſeruitio tempus detinentes inuitos, & eodem ſtipendio velle eſſe contentos, quod pro iſis, qui ad Minas mittuntur, Regiis eſt legibus conſtitutum ſtipendium illud pro tempore designationis; cum valde exiguum ſit, ut aliàs expendimus, non caret ſcrupulo; tolerandum id tamen, quia ſic eſt iudicio prudentium iudicatum. Vltra tempus autem detentis manifeſta iniuria ſit, ſtipendij defraudatione, quod voluntariis operariis datur, & eſt multo maius; & neque illud eſt proportionatum, quando etiam labori violentia adiungitur, pro quâ etiam ſpecialis eſt debita ſatiſfactio: faciendâ numquam: Proh dolor! ſed erit, erit, quando iſti viſque ad nouiſſimum ſunt quadrantem redditori.

5 Duodecimo: Duplas, aut gratis, aut pretio accepto tribuentes; vocantur autem duplas labores nocturni Indorum, qui cum per diem domino Minæ laborauerint, coguntur laborare per noctem alteri, cui extractio metalli conceditur. Cuius coactionis inhumanitas ſtatim apparet. Neque honeſtatur illa adiectione pretij, qui iuxta pretium diurni laboris eſſe ſolet: quod eſt proſus iniquum; diurni enim laboris pretium pro laborantibus designato ſibi tempore, exiguum valde eſt, ut nuper dicebamus. Et ad illum ſolummodo obligantur: circa nocturnum autem laborem taxatio ſtipendij non currit, vnde aliter exæquandum, & multiplici ex capite redditur augendum; videlicet, quia labor eiudem generis cum diurno; quia maioris moleſtiæ, eò quod nocturnus, & quia diurno ſuccedens, necnon quia coactè laboratur. Quæ quidem à Confeſſariis oportet aduerſi, ut ſi aliquoſum ex iſtis Deus terigerit corda, quid ſui ſit muneris agnoſcentes, eidem non deſint, prædictorum conſcientias tot contractis oneribus releuantes, & horæ quidem laboris per legem habentur definitæ: de quo Ordinatio *Titulo 10. num. 2. & 3.* ut iam dictum.

6 Decimotertio. Accipientes pecuniam à multis ſoluendam argenteis pinnis cum ſciant non omnibus ſuffecturos, & ſe non eſſe pro ſolutione grauandos, ob priuilegia quibus in ordine ad iſta Minerarij perfruuntur.

Decimoquarto. Sumptus exceſſiuos facientes conuiuiorum oſtentatione, quibus multos vagos homines Reipublicæ turbatores excipiunt, vnde ad ſoluendum inualidi reperuntur.

Decimo quinto. Accipientes Indos designationis, & eos alijs tradentes pretio ad rationem ſtipendij voluntariorum, de quo dictum ſupra *Tit. præced. Cap. 6.*

Decimoſexto. Vtentes famulis acerbis, crudelibus, inhumanis, ut feruet opus, & de modo, quo Indi tractantur, minime curantes.

Decimoſeptimo. Argenteis pinnis vile ali-quod, & ponderoſum intrinſecus admixcentes pondere argenti vendendum.

Decimo octauo. Pinnas non exactè depurantes, ut argenti viui non nihil reſideat, ut maius ſic pondus faciat pretioſiores.

7 Decimonono. Compellentes ad laborem Indos, qui morbo ſe correptos affirmant, quamuis

Vndecimo.

Notanda circa illorum ſtipendium.

Duodecimum.

Et ſpecialiter pro Diſſis.

Decimotertium.

Decimumquartum.

Decimumquintum.

Decimumſextum.

Decimumſeptimum.

Decimumoctauum.

Decimumnonum.

uis ille non ſit viſibilis, debet enim eis credi, quia non ſunt ſoliti morbum ſimulare: erit autem inhumanus, ſi morbi appareant ſigna, & ad laborandum compellantur: vel ſi exigatur ab eis; ut alios pro ſe ſubſtituant, vel ad conducendos pretium ab eisdem extorqueant, qualecumque illud ſit, vel ſi ante recuperatam integrè valetudinem ad laborem reducantur.

Vigefimum. Vigefimo. Ad Minas auri pertrahentes Indos, quos inſalubre cœlum in vitæ diſcrimen conſtat adducere; ſolet enim illud in regionibus calidioribus inueniri.

Vigefimum primum. Vigefimoprimum, Gentilitios ritus, & ſuperſtitioſa aliqua illis permittentes, ut lubentiores habeant.

Vigefimum ſecundum. Vigefimoſecundò. Qui in designatione partis Regi applicandæ iuxta legum diſpoſitionem, cum noua Mina detegitur, iurant eam eſſe ex venâ locupletiore, & fruſtuſiore, cum reuera ita non ſit.

Vigefimum tertium. Vigefimotertio. Qui iurant aliquos ſecum in conqueſtione Minarum fuiſſe, ut eis pars earumdem aſſignetur, cum tamen reuera non fuerint. An autem ex hoc reſtitutionis onus incumbat, videndum inferius.

Vigefimum quartum. 8 Vigefimoquarto. Qui cum præconizantur Minæ, ut veniant, qui emere velint, curant nullum talem accidere, ut ita ipſi ampliores in ea partes habeant, in quibus aut laborare ſuo nomine faciant, aut alijs vendant, iuxta Proregias ordinationes.

Vigefimum quintum. Vigefimoquinto. Qui licentiam petentes ad ferenda arma prohibita titulo veſtigatorum Minarum, iurant ſe eisdem non malè viſuros, ſed tantum in ordine ad licitam veſtigationem; cum tamen animum habeant vendi illis pro libito ad ſas, & nefas: & ſacrilegium etiam in eorum uſu committitur.

Vigefimum ſextum. Vigefimoſextò. Tollentes ſigna limitanea Minarum, ut ſuas amplificent, cum detrimento vicinorum, contententes terram eſſe communem. In quo quidem non minus peccant, quam illi, qui prædiorum ſuorum terminos tranſgrediuntur, ut quæ aliorum ſunt ſibi uſurpent. Pro quo extant ſeuera leges & idem eſt cum effodientes propriam venam, ad alienam perſtingunt, ſi in illius effoſſione procedant: quam improbitatem obſeruauit, & expreſſit Georgius Agricola. *de re Metallica libr. 1.* verbis illis: *nam improbi quidem homines venulas proximas uenis eſſuentibus aliquo metallo fodientes, in alienam poſſeſſionem inuadunt.* Sic ille.

Georgius Agricola. *de re Metallica libr. 1.* verbis illis: *nam improbi quidem homines venulas proximas uenis eſſuentibus aliquo metallo fodientes, in alienam poſſeſſionem inuadunt.* Sic ille.

Vigefimum ſeptimum. 9 Vigefimoſeptimo. Qui Minarum ſemitas, ut leges præſcribunt, non aptant, ut per eas ſecurè, & inoffenſè poſſit ambulari, & moleſtia laborantium minui, & pericula præcaueri. In quo quidem etiamſi leges deſſent alia, vnius charitatis, & iuſtitia legis ſatis ſuperque ſufficerent.

Vigefimum octauum. Vigefimo octauo. Diruentes pontes intra Minas fabricatos ex eadem terra metallica, ut metallum extrahant, nihil de periculo ex earum demolitione curantes.

Vigefimum nonum. Vigefimonono. Non curantes ut ſcala Minarum tales ſint, quales leges exigunt: ex quo, aut maior in labore moleſtia proueniat, aut ſpecialia pericula timeatur.

Vigefimum decimum. Trigeſimo. Qui ſocium habens in Mina, &

Theſauri Indici Tom. I.

de ſumptibus interrogatus, plures iurat fuiſſe, quam re ipſa fuerint; quod iuramentum in caſu ſpeciali leges requirunt, de quo Dom. Elcalona *Part. 2. lib. 2. pag. 115. num. 4.*

Trigeſimoprimum. Extrahentes metalla, nec ſoluentes partem per leges taxatam domino maioris foſſuræ, vulgò *Sotabon*, qui in eo efficiendo copioſam pecuniam expendit, volentes alienis laboribus ſine iniuſtâ recopenſatione potiri.

10 Trigeſimoſecundò. Qui durante lite circa Minam, poſt ſecundam ſententiam ob appellationem interpoſitam, & fideiuſſione datâ de non defraudandâ parte, quæ in poſſeſſione non eſt; nihilominus metalla occultat, & contrarium poſteâ iuramento confirmat.

Trigeſimotertio. Qui, cum eorum Minæ venduntur, non manifeſtant debita coram Tabellione, qui venditionis acta conſecturus aſſiſtit, ut lege præſcribitur, de quo citatus Auctor *ſupra pag. 122. numer. 6.* id enim in graue creditorum detrimentum cedit.

Trigeſimoquarto. Volentes ut priuilegio Minerariis conceſſo, de quo dudum citatus *n. 7.* & 9. ut non ſoluant debita contracta ante Minarum, aut Ingeniorum emptionem.

Trigeſimoquinto. Qui in venditione aut emptione Minarum enormiſſimam læſionem inferunt, eo prætextu, quod illa non poteſt iudicialiter allegari, de quo idem *pag. 123. numer. 11.* quod & de enormi pariter aſſerendum.

Trigeſimoſextò. Deſmontium emolumenta impediens, quibus uti omnibus permittitur ſub quibuſdam limitationibus. *Tit. 10. Ordinationum. num. 1.*

11 Trigeſimoſeptimo. Qui Indis penſum certo reddendum imponunt, cum non debeant, ſi voluntarij ſunt, niſi quantum commodè poterint, laborare. *ſupra num. 6.*

Trigeſimo octauo. Cogentes Indos ad labores alios præter eos, pro quibus designantur.

Trigeſimonono. Qui fornaces pro depurando per ignem argenti ab hydrargyro, non habent ſeparatas à domo beneficij quod vocant, vnde ex fumo hydrargyrico graue in Indos venire damnum poſſit, *ſupra num. 9.* vbi & alia pro damno iſto vitando prouidentur.

Quaterdecimo. Qui Indo ſua culpa ex fumo prædicto, pro quo eſt etiam Ordinatio. 10. grauiter damnificato designatam ſatiſfactionem non tribuit, de qua *ibidem*, vbi de ſpecialibus præcautionibus in ordine ad damnum prædictum cautandum.

Quadrageſimoprimum. Qui in modo ſolutionis non ſeruant id, quod lege ſtaturum eſt, ſi in uſu ſit; nam aliqua non videntur eſſe in uſu; ut quod ſolutio fiat in metallo Indis effoſſoribus, de quo *num. 12.*

Quadrageſimoſecundò. Non ſoluentes ſtipendij Indis diebus, quibus non laborant, quando per eos non ſtat, ſed ex malâ rei gerendæ diſpoſitione. *n. 13.* vbi & alia.

12 Tandem, qui generaliter loquendo ſtipendium iuſtum labori Indorum non præbent, ſecundum varia eorum miniſteria. Et per antiquiores Ordinationes valde exigua pro aliquibus eorum inueniuntur aſſignata; quæ tamen poſteâ attentiori conſideratione ſunt aucta. Vnde grauius

Trigeſimoprimum.

Trigeſimoſecundum.

Trigeſimotertium.

Trigeſimoquartum.

Trigeſimoquintum.

Trigeſimoſextum.

Trigeſimoſeptimum.

Trigeſimo octauum.

Trigeſimononum.

Quaterdecimum.

Quadrageſimoprimum.

Quadrageſimoſecundum.

Circa ſtipendium Indis reddendum diſcurſus peculiaris, & irreſtrictus gabilis.